



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXLIV. Ioannis Papae VIII. Ad Episcopos In Regno Lvdovici  
Constitvtos. Rescribit de indulgentia eorum qui contra Paganos pugnantes  
occubuerant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CXLIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD OMNES FIDELES.

Præcipit ne quispiam monasterio sancti Augentii  
quidquam detrimenti afferat.

*Omnibus fidelibus ecclesiæ.*

**S**O LICITUDINEM omnium ecclesiarum nos habere oportet, & singulorum causas æquitatis iudicio alleuare; quapropter, cum de omnibus agere hæc eadem conuenit, præcipimus atque præsenti decreto sancimus, vt de abbatia sancti Augentii, quam diuæ memoriae Carolus imperator fideli suo, & filio ecclesiæ nostræ ante iure beneficiario tribuit, nullus de ipsis rebus aliquid iniuste auferre præsumat: nec prædicto episcopo, & monachis ipsius loci aliquam in distrahendo illicite inferre molestiam. Quod si quis abhinc agere præsumperit, separetur a communione fidelium ecclesiæ: quod si pertinaciter perstiterit, & emendare noluerit, iudicio sancti Spiritus anathematis vinculo feriatur. Data vt supra.

## EPISTOLA CXLIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS IN REGNO LVDOVICI  
CONSTITVTOS.

Rescritbit de indulgentia eorum qui contra Paganos  
pugnantes occubuerant.

*Omnibus reuerendissimis & sanctissimis venerabilibus coepiscopis  
per totum regnum carissimi filii mei Hludouici.*

**Q**VIA veneranda fraternitas vestra modesta interroga-  
tione sciscitans quæsiuit, vtrum hi, qui pro defensio-  
ne sanctæ Dei ecclesiæ, & pro statu Christianæ religionis  
ac reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro-  
ea re casuri sunt, indulgentiam possint consequi delicto-  
rum, audenter Christi Dei nostri pietate respondemus,  
quoniam illi, qui cum pietate Christianæ religionis in belli  
certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ suscipiet, contra

Paganos atque infideles strenue dimicantes, eo quod Dominus per prophetam dignatus est dicere : *Peccator quacumque hora conuersus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius* : & venerabilis ille latro in una confessionis *voce de cruce meruit paradisum*. *Manasses quoque impurissimus quondam rex captus, carcerique arctissimo religatus, ibi pœnitentiam agens, cum perfectione indulgentiae, etiam regni pristini, propter Domini misericordiam, quia immensa est circa genus humanum, adeptus est solum: nostra præfatos mediocritate, intercessione beati Petri apostoli, cuius potestas ligandi atque soluendi est in celo & in terra, quantum fas est, absoluimus, precibusque illos Domino commendamus. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data ut supra.*

## EPISTOLA CXLV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVIFREDVM EPISCOPVM VENCIENSEM.

Episcopum, qui cum excommunicatis communicarat,  
Missarum celebratione prohibet.

*Vvifredo venerabili episcopo sanctæ Venciensis ecclesiæ.*

**A**CTORITATE Domini nostri Iesu Christi, & sancti Petri apostolorum principis, nostrique apostolatus, quia cum excommunicatis communicaisti, vt literæ tuæ manifestant, omni te Missarum celebratione priuamus, donec in nostram cum eisdem hominibus occurras præsentiam: & si, quod non optamus, amplius præsumptor extiteris, denuntiamus te omni sacerdotio fore nudatum. Data ut supra.

## EPISTOLA CXLVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ODONEM EPISCOPVM BELLOVACENSEM.

Decernit impuberis, qui alium occiderant, post peractam pœnitentiam ordinari posse.

*Hodoni venerabili episcopo Beluacensi.*

**R**E LATV didicimus quorumdam monachorum sancti Dionysii cœnobii, quod quibusdam pueris impuberi  
*Concil. Tom. 24.*

X ij